



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XL. S. Siricivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

Hic sententiam Hieronymi Presbyteri de celebratione Missæ cōfirmavit, videlicet, vt die Dominico nullus post tertiā horā diei Missarū solemnia celebrare præsumat. Hic præcepit vt psalmi die, noctuque in Ecclesia canerentur.

XL.

A. CCCLXXXV

S. SIRICIVS.

SIRICIVS, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annos 15. menses 11. dies 25. Hic ordinavit Episcopos 32. presbyteros 31. diaconos 16. Hic de hoc sæculo migravit 8. Kalend. Martij. Hic in epistola^a quam Himmerio Tarraconensi Episcopo scripsit, baptizatos ab Arrianis, si ad Catholicam fidem festinent, denuò baptizandos esse prohibuit, quia & Apostolus prohibet, & canones contradicunt, & Liberii Papæ decreta post cassatum Ariminense Concilium ad prouincias missa prohibēt, & sola Episcopalis manus impositione Catholicorum conuētui eos sociandos esse asserit. **ITEM** in eadem affirmat, nullo tempore anni, nisi in Dominico Paschæ & Pentecostes quemlibet baptizandum, nisi cum mortis cuiuslibet periculum vrgeat. Iterum illos, qui ad apostasiam transeunt, & idolorum cultu, ac sacrificiorum contaminatione polluuntur, à corpore Christi & sanguine iubet abscindi: resipiscentibus autem, & ad lamenta conuersis pœnitentiam in vita agendam esse, & in fine vltimo reconciliationis gratiam tribuendam esse præcipit. **ITEM** puellam alij desponsatam, ne alter in matrimonium accipiat, inhihet, quia illa benedictio, quam sacerdos nupturæ imponit, si transgressione violetur apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est. **DE** his verò, qui acta pœnitentia tanquam canes & fues, ad pristinos vomitus & volutabra redeunt, & militiæ cingulum reperunt, & incontinentes existunt, quia iam pœnitendi non habent refugium, decernit vt sola intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur, à Dominicæ autem mensæ conuiuio separentur. transeuntibus autem de hac vita, viatico munere, subueniri iubet.

^a epist. 1.

Eph. 4.

27. q. 2. c. de
coniugali.33. q. 2. de his
vero.* purificatio
rio

DE monachis verò vel monachabus, qui se prius clanculò illicita contagione polluerunt, & postea in abruptum conscientiæ desperatione perducti de illicitis complexibus liberè filios procrearint, à monasteriorū cœtu & Ecclesiarum conuentibus eliminandos esse mandauit, vt in suis ergastulis retrusi * purgatorio possint pœnitentis igne decoqui, vt eis saltem ad mortem solius misericordiæ

cordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subueniri.

DE sacerdotibus verò atque Leuitis, qui post longa consecrationis suæ tempora, tam de propriis coniugiis, quàm de turpi coitu sobolem procrearint, & crimen suum defendunt, quia in veteri testamento sacerdotibus ministris procreandi facultas legitur attributa, quia non ex alia vtrique nisi quàm ex tribu Leui quisquam ad DEI ministerium fuerat præceptus admitti, mandat, vt his, qui ignorantia lapsos se desent, hac conditione misericordia non negetur, vt sine vlllo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quãdiu vixerint, officio perseuerent, si tamen post hæc continentes sese studuerint exhibere. Illos verò, qui se illicita priuilegii excusatione defendere nituntur, omni Ecclesiastico honore Apostolica auctoritate spe futuræ adeptionis prohibita penitus priuat. ET QVIA licenter ac liberè inexplorata vitæ homines, quibus etiam fuerant numerosa coniugia, ad præfatas dignitates, prout cuique fuerat libitum, aspirabant, quid de huiusmodi ab vniuersis Ecclesiis sit sequendum, quid vitandum, generali pronuntiatione decreuit, ita videlicet, vt qui à pueritia vsque ad tricesimum ætatis suæ annum probabiliter vixerit, vna tantum vxore contentus, & ea virgine, & cum illa benedicta à sacerdote, promoueri per singulos gradus mora præfiniti temporis poterit, si in singulis irreprehensibiliter vixit: illum verò clericum qui aut viduam aut certè secundam coniugem duxerit, omni Ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudandum esse censuit, laica sibi tantum communionem concessa, quam ita demum poterit possidere, si nihil * præterea, propter quod hanc perdat possideat. Fœminas verò ab omnibus clericis exclusit, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permisit. Monachos autem, quos morum grauitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari concessit, temporibus præfixis, vel singulis gradibus seruatis.

ILLVD quoq; decreuit, vt sicut pœnitentiam agere cuiquam clericorum non licet, ita & post pœnitentiam ac reconciliationem nulli vnquam liceat honorem clericatus adipisci, quia quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, q̄ fuerat vasa vitiorum. Sed quia in huiusmodi, cum reprehenduntur, sola ignorantie excusatio solet obtēdi, hac conditione pœnitēdi cui libet digamo, & viduæ marito indebitè ad gradū quēlibet p̄moto veni-

82. dist. 6. plurimos.

Dist. 84. c.

quisquis

* postea

Dist. 81. c. fœminas.

16. q. 1. c. monachos.

nachos.

Dist. 50. c. illud.

Dist. 50. c.

quicumque.

am relaxat, vt omni spe promotionis filii adempta, in quo inuenitur ordine, perpetua stabilitate permaneat.

b epist. 4. Prædictus Papa propter multas præsumptiuas causas, quæ suis temporibus emerferant, decretalem^b epistolam Africanis Episcopis destinavit, in qua præcepit, vt nemo extra conscientiam sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis, audeat Episcopum ordinare, quia integrum dicit esse iudicium, quod plurimorum sententia consequatur. *Dist. 64. c. ex tra.* **ITEM** ne vnus Episcopus Episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam, ne furtiuum beneficium præstitum videatur, quia & in Nicæna Synodo hoc definitum esse constat. *Syn. Nic. c. 4.* **ITEM**, si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clerum admitti non debet. Similiter, vt clericus mulierem viduam non ducat vxorem præcepit. Iterum, vt laicus, qui duxerit viduam, non admittatur ad clerum. **ITEM**, vt de aliena Ecclesia ordinare clericum nullus vsurpet, vel ab Ecclesia abiectum suscipiat, & venientes à Nouatianis, & Montensibus per manus impositionem suscipiantur, eò quòd rebaptizati sint. Præterea, in eadem monuit & suasit, ne sacerdotes & Leuitæ, cum vxoribus suis coeant, quia in ministerio ministri cottidianis necessitatibus occupantur, & qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

c epist. 3. **IDEM** sanctæ memoriæ prædictus Papa aliam decretalem^c epistolam scripsit orthodoxis, per diuersas prouincias degentibus, in qua, quia multa contra Ecclesiasticum canonem præsumebantur, præcepit, & monuit, vt indignus, & non diligenter examinatus, non efficiatur Episcopus, & ne sacerdotium detur illis quorum fides, baptismus, & vita nescitur, & ne neophyti siue laici inconsideratè diaconi aut presbyteri ordinentur, cum dicat Apostolus: Manus nemini citò imposueris.

d. Tim. 5.

e epist. 2.

ITEM prænominatus Papa aliam Italicis Episcopis scripsit^e epistolam, in qua se eis Iouinianum Epicurum, sociosq; eius damnasse notificat, qui virginitatis præmium adnihilabant, & ieiunia condemnabant.

XLI.

S. ANASTASIVS.

ACCCKCVIII.

ANASTASIVS, natione Romanus, ex patre Maximo, sedit annos 3. dies 10. Hic ordinavit Episcopos 11. presbyteros 9. diaconos 5. Hic Germaniæ & Burgundiæ regionis Episcopis epistolam